



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliarvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno CCCCLII. ad annum CCCCLXXX.

Parisiis, 1644

I. Contra Pelagianos, qui dicunt, etiam sine peccato mori potuisse Adam.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14918

C A N O N E S.

ANNO
CHRISTI
416.

I.

Cod. Can.
cap. 109.
Conc. Afr.
cap. 76.
De consecr.
dist. 4. Pla-
cuit igitur
omnibus e-
piscopis.

PLACVIT ergo omnibus episcopis, qui fuerunt in hac sancta Synodo, constituere hæc quæ in præsentī Concilio definita sunt: Ut quicumque dicit, Adam primum hominem mortalem factum, ita ut siue peccaret, siue non peccaret, moreretur in corpore, hoc est, de corpore exiret, non peccati merito, sed necessitate naturæ, anathema sit.

II.

Cod. Can.
cap. 110.
Conc. Afr.
cap. 77.
De consecr.
dist. 4. Pla-
cuit, ut qui-
cumque
paruulos.

Rom. 5.

Item placuit, ut quicumque paruulos recentes ab uteris matrum baptizandos negat, aut dicit, in remissionem quidem peccatorum eos baptizari, sed nihil ex Adam trahere originalis peccati, quod regenerationis lauacro expietur: unde fit consequens, ut in eis forma baptismatis, in remissionem peccatorum, non vere, sed false intelligatur, anathema sit. Quoniam non aliter intelligendum est, quod ait Apostolus: *Per unum hominem peccatum intrauit in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines pertransiit, in quo omnes peccauerunt*, nisi quemadmodum ecclesia catholica ubique diffusa semper intellexit. Propter hanc enim regulam fidei, etiam paruuli, qui nihil peccatorum in semet ipsis adhuc committere potuerunt, ideo in peccatorum remissionem veraciter baptizantur, ut in eis regeneratione mundetur, quod generatione traxerunt.